# Obligatio Petri de Pyeschkowa skala Palatini Sandomiriensis.

41 40

Ego Petrus senior de Pyeschkowa skala palatinus Sandomiriensis, nec non Cracoviensis et Siradiensis terrarum Capitaneus. Recognosco me castrum et terram Cracoviensem a Serenissimo principe domino et domino Wladislao Dei gratia rege Poloniæ domino meo gratiosissimo ad fideles manus recepisse. Quod quidem castrum et terram promitto, polliceor, et spondeo absque dolo et fraude, sub fide et honore nulli alteri, præterquam ipsi domino regi, vel cui sua serenitas mandaverit, fideliter resignare. Et si voluntate Dei aliquid in sua serenitate humanitus contingat, extunc inclitis suis filijs Dominis Wladislao et Kazimiro, vel serenissimæ principi dominæ Zophiæ reginæ Poloniæ ipsius consorti carissimæ tanquam Tutrici, prædicta castrum et terram similiter absque dolo et fraude sub fide et honore ac juramento præstito tradam, condescendam et resignabo. In

cujus

In cujus rei testimonium sigillum nostrum praesentibus est appensum. Datum in Castro Cracoviensi feria quinta in octava Ascensionis Domini. Anno domini millesimo quadringentesimo tricesimo primo.

Ta Kopia z Oryginału pargaminowego, przepisana, Dnia 26. Kwietnia. Roku Pańskiego 1785. od ktorego pieczęć oderwana. ~